

tis omnipotentis amplitudinem non capientes; ita
 varium praebebat ad euincendam nostrorum quoque
 corporum restitutionem argumentandi genus. Nempe
 v. 20. Christo, qui *primitiae, ἀρχὴ*, erat, ita sanctifica-
 to, totam fidelium messem per eum sanctificari ne-
 v. 21. cesse erat. In ipso, ut Adamo secundo, cum omnes
 essent per fidem; ut mortui erant, qui in primo Ada-
 mo fuissent per peccatum, omnes; sic resurgere iam
 in Christo debebant. Christus, sicuti per resurrectio-
 nem *satisfactum* Deo esse demonstraerant, ut adeo
 AG. IL. 24. *iam fieri non posset, ut in morte detineretur ipse*; ita
 suos quoque, pro quibus satisfecit, eadem detineri
 iam amplius non posse, ostenderat. *Sponsor* enim cum
 exsoluisset, quo se obstrinxerat, debitum, luissetque
 culpam, quam luendam in se suscepisset, tollendum
 iam erat, quod ob culpam illam incubuisset: ut adeo
 eos quoque vinculo mortis detineri *ἀδύνατον* esset. Ut
 dixi igitur, resurrectio Christi erat, quae argumenti
 loco ad nostram tuendam resurrectionem afferebatur,
 eaque proinde in verbis propositis *meta* est demon-
 strationis, per quam ipsa solide adstruitur; ut quae con-
 clusioni de nostra resurrectione adstruendae inseruire
 non posset, nisi ipsa antea sufficienter demonstrata
 fuisset.

§. IV. Quae de morte vero & sepultura Chri-
 sti adduntur, ea pertinent ad *subiectum* demonstratio-
 nis, quod est *resurrectio Iesu Christi*, accuratius defi-
 niendum, ut constet, quanam de re quaeratur, nexum-
 que adeo inter rem heic demonstratam, & conclusio-
 nem inde deducendam, esse pareat. Nempe τὸ ἐγει-
 ρεσθαι *resuscitari* vel *resurgere* relationem importat ad
 ali.